

Dissertatio inauguralis medica sistens observationum obstetriciarum de partu clunibus praevis peracto decadem : Quam praeside Henrico Augusto Wrisberg ... pro gradu doctoris medicinae rite obtinendo in Academia Georgia Augusta d.30 Dec. 1780. Publice tuebitur Georgius Wilhemus Spangenberg Nordheimensis.

Contributors

Wrisberg, Heinrich August.
Spangenberg, Georg Wilhelm.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Göttingae : Typis Barmeieri, 1780.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/t6vac8uu>

Provider

University of Glasgow

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
SISTENS
OBSERVATIONVM OBSTETRICIARVM
DE PARTV
CLVNIBVS PRAEVIIS PERACTO
DECADEM

QUAM
PRAESIDE
HENRICO AVGVSTO WRISBERG

PHIL. ET MED. DOCT. MED. ANATOMES
ATQVE ART. OBST. PROF. ORD.
FACVLT. MED. H. T. DECANO.

CONSENSV ILLVSTRIS ORDINIS MEDICORVM

PRO
GRADV DOCTORIS MEDICINAE
RITE OBTINENDO
IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

D. 30. DEC. 1780.

PVBLICE TVEBITVR

GEORGIVS WILHELMVS SPANGENBERG
NORDHEIMENSIS.

Göttingae, Typis *BARMEIERI*,
1780.

DEPARTMENT OF THE ARMY
OFFICE OF THE ADJUTANT GENERAL
WASHINGTON, D. C.
DEPARTMENT OF THE ARMY
OFFICE OF THE ADJUTANT GENERAL
WASHINGTON, D. C.

OFFICE OF THE ADJUTANT GENERAL
WASHINGTON, D. C.
OFFICE OF THE ADJUTANT GENERAL
WASHINGTON, D. C.

OFFICE OF THE ADJUTANT GENERAL
WASHINGTON, D. C.
OFFICE OF THE ADJUTANT GENERAL
WASHINGTON, D. C.

OFFICE OF THE ADJUTANT GENERAL
WASHINGTON, D. C.
OFFICE OF THE ADJUTANT GENERAL
WASHINGTON, D. C.

GLASGOW
UNIVERSITY
LIBRARY:




PROOEMIUM.

Suasu et consiliis *Celeberrimi WRISBERGII*, Praeceptoris mei ut in variis aliis disciplinis medicis, ita in *Anatome* et *Arte obstetricandi* fidelissimi, et cui hac occasione publicum grati animi exhibeo documentum, factum est, ut pro capessendis Doctoris medici honoribus, thema ex obstetricandi scientia, cui per aliquod tempus in Nosocomio Gottingensi sub manu ductione *Ill. Praeceptoris* operam navavi, desumptum, cum publico communicem.

Inter tot diversaque argumenta, in quibus pertractandis tirones, ad summos in sua arte honores adspi-



spirantes occupati sunt, dum alii ad illustrandam hanc vel illam opinionem sententias Autorum colligant, et hoc modo utili saepe lectione plurium scriptorum tum ipsi proficiunt, ideasque colligunt, tum alios instruunt, iisdemque in eodem argumento laborantibus laboris compendium efficiunt; alii vero rariores res, morbos, observationesque describunt, et posteritati tradunt; alii tandem tritissimos naturae effectus, et quotidie in praxi occurrentes observationes et casus consignant, trami-tem et viam, quae a consueto et facili naturalique ordine deflectit animadvertunt, optimam methodum qua lu-ctanti naturae succurrendum est, proponunt et com-mendant, tertiam classem selegi. Vix autem a tirone posci expectarique poterit, illum tot negotiis et occu-pationibus obrutum, nunc in tam vasto artis medicae, nostris temporibus tam multifariae divisioni obnoxiae ambitu, sufficientem observationum numerum colligere posse, qui ad stabilienda praecepta generalia, tum ab-rogandis regulis falsis, tum condendis legibus veriori-bus idonea et proficua, requiritur. Gratias ita ago Ill. WRISBERGIO, quod ex observationum suarum penu illas mecum communicaverit, quae in partus illa classe, dum foetus conduplicato corpore clunibus praevis exit ostendere possunt, quid natura valeat, quid ars. Eo lubentius hos casus exarandos et publici juris faciendos sumsi, quod ante hos decem circiter annos *Ill. Praeceptor* et egregius Discipulus, theoreticam huius partus par-




partem elaboraverit (a), eandemque docto Viro defendendam dederit, ut lectores itaque hanc tractationem tanquam alteram prioris libelli, et si ita volupe est, practicam partem respicere possint. Tractationis ratio, ipsa natura duce, ea omnia in tres sectiones dispescere jubet, quae dicenda habeo: *prima* enim complectitur partum clunium praeviarum *forcipe* finitum, singulari observatione illustratum: *altera Versionis* praestantiam ostendit, quibusdam sub conditionibus necessariam, aliquot observationibus confirmatam: *tertia* tandem *naturae* valorem in finiendo hoc partu vel solum, vel digitis uncini instar adjutum, manifestat, nonnullis in casibus visum.

Speramus itaque fore, ut successu temporis plures diversarum partus specierum generumque descriptiones, nec taediosa loquacitate, nec infructuosa brevitate, consignatae, non simplici narratione peractae operationis, sed docta et iudicio plena adumbratione confirmatae prodeant!

(a) *De foetu natibus in partu prodeunte observationes et analecta,*
resp. SAMUELE FRIDERICO SCHEFFEL, Gotting. 1770.





OBSERVATIONES OBSTETRICIAE

DE

Partu clunibus praevis peracto.

§. I.

Foetus humani fereque omnium quadrupedum maturi et perfecti, duplici tantum corporis situ in naturali enixu in lucem prodire possunt: vel enim matres pullos suos capite primum prodeunte, ut pedes ultimo loco sequantur, in lucem enituntur, vel inferiore corporis parte pedibus, genibus, et clunibus primum exclusis, capite ultimum demum locum occupante parere solent.

Verum enim vero, licet numerus partuum capite praevio perfectorum longe maior sit, illis, ubi ultimo loco caput exire debet, et eam ob causam a variis, quin plurimis, *naturalis* appelletur, in qualibet tamen partuum classe, quos natura sola, nullo artis praesidio suffulta peragit, quaedam conditiones requiruntur, quae, si defint, in una aequae quam altera, artis subsidio opus est. Cum itaque operatoris auxilium praecipue requiratur, quotiescunque vel proportionibus foetus et pelvis peccant, vel situs foetus a naturali, et ad partum perficiendum conveniente vitiosus redditur, vel vires partum promoventes languent aut plane cessant, vel ratio-

nes



nes et symptomata partum accelerandi superveniunt, vel multa alia improvisa contingunt, nunc non enumeranda, hinc, ut in partu capite praevio, sic in illo ubi clunes primum prodeunt, conditiones, causae et circumstantiae ponderandae et trutinandae sunt, sub quibus pro diverso rerum statu, naturae viribus vel silentibus, vel si adsint, insufficientibus et superfluis, ad hoc vel illud artificiorum genus, forcipem puta, vectem, vel versionem in pedes confugere volumus. Putamus itaque magnopere errare eos, qui in partu conduplicato absque omni limitatione et restrictione versionem in pedes suadent, cum potius conveniat, eundem simili modo tractare, uti partum capite praevio, quem nonnullis sub conditionibus forcipe, aliis versione absolvimus, in plerisque vero casibus naturae committimus.


SECT. I.

FORCIPIS USVS IN PARTV CLVNIBVS PRAEVIIS SALVTARIS.

§. II.

Egregium exemplum proficui forcipis usus in partu, ubi *nates praeviae* erant, et *dolorum summus lentor*, prima observatio ostendet.

Christina Dorothea Schustern 35 annorum, prima vice utero gerens, statura parva et corpore pingui-
ma,



ma, temperamenti admodum phlegmatici, ingeniique tam hebetis, ut licet, coivisse cum viro sibi recordaretur, consueta tamen conceptionis symptomata, et ipsam menstruorum cessationem oblita fuerit, incrementum infimi ventris insignis non animadverterit, et prima dolorum cum praelagientium tum verorum plane ignoraverit.

D. 15. Mart. 1764. h. 12. sub mediam noctem vellentis sua sponte ruptis, liquoris amnii parva quantitas guttatim pariente inscia effluxit, cuius vestigia in lecti lintheaminibus ab accersita obstetrice deprehensa sunt. Consobrina quaedam eodem in conclavi decumbens, ex repetitis gravidæ agitationibus enitendi terminum suspiciens, obstetricem advocat, factaque exploratione, cuncta ad partum disposita esse, eadem adstantibus refert, simulque asserit, se post unam alteramve horam reverfuram esse, quo tempore caput infantis prævium solito paullo maius a doloribus melius depressum iri, ut post eius reditum eo commodius citiusque extrahi possit.

Immobilis interim in lecto parturiens decumbit, adstantes partim agendarum rerum ignaræ, partim contentæ, tam quietam et læto animo fruentem esse parientem, nec de invadentibus ad partum doloribus interrogaverunt, multoque minus eandem ad edendos nixus excitaverunt. Obstetrice elapsis 5. horis reduce, res eodem in statu manserunt, caput, secundum obstetricis præconceptam opinionem prævium, ne tantillum

lum ex suo situ dimotum, nec orificium amplius erat diductum. Dolorum defectum nunc obstetrix accusans, ex proximo pharmacopolio aliquot balsami embryonum uncias apportat, quibus parienti propinatis minime simul obliviscitur, fortibus, nonnunquam emphaticis verborum admonitionibus eandem ad sustentandos subigendosque dolores excitandi, non sollicita, an tales dolores, quos suis suffulcire debebat nixibus voluntariis, adfuerint nec ne. h. 3. post meridiem medicus allicitur eo scopo, ut dolores medicamentis auget: clyisma stimulans alvo iniicitur, et ore tria consuetorum pulverum pellentium dictorum, ex borace veneta, elaeosacharo citri et oleo cinamomi paratorum fumuntur: paullulum auctos esse dolores, an his remediis, an perpetuis allocutionibus, contendebant, alia tamen obstetrix, priori prudentior, nunc h. 9. vesp. in subsidium vocata, dum prior alii cuidam parienti opitularetur, contrarium afferit, partum ne tantillum huc usque promotum esse, licet omnia brevi futurum sponderent, eidem tamen minime fidendum esse, cum dolores plane deficerent, parientis vero vires intempestivis adhortationibus iam fractas, et medicamentis circulationem sanguinis talem in modum acceleratam esse, ut aestus, animi anxietas, et inquietudo his potius quam dolorum vigori adscribi debeant, se itaque aliquot horarum quietem suadere, ut pateret, an dolores sponte fortiores redderentur, aut, nisi hoc consilium placuerit, mea auxilia imploranda esse tanto magis putabat, cum ex meconii

B

spon-



spontaneo profluvio detrimentosi quidquam respectu infantis suspicaretur.

Usque ad h. XI. omnia naturae committuntur, maritus autem in tanto dolorum silentio, cum ab obstetrice simul exhortaretur, acquiescere non amplius poterat. h. I. sequentis diei, postquam 25. horae a velamentorum dilaceratione elapsae erant, ad parturientem accedo, sequentemque statum invenio.

Imo Debilis, viribus animique vigore exhausta, aestuans, sudans, respiratione concitatiorè, brevi repetita, pulsu frequenti parvoque et celeri instructa.

2do) Dolorum plenaria absentia, tam ex immutata uteri duritie, dum per quadrantem horae manum abdomini imposuissem, quam sub exploratione, dum pars praevia plane nullam mutationem pateretur, sese manifestabat: Videbantur quidem interdum nonnulla dolorum parientem afficere simulacra, quibus vero tam parva erat diurnitas et vigor, ut nihil fere vicissitudinis dolorem inter et intercalarem quietem a peritissimo observatore distingui, uno verbo nihil dolorum verorum observari potuerit (b).

3.)

(b) In hac itaque pariente consilia tam Clar. GILES WATTS *Reflections on slow and painful labours and other subjects in midwifery*. London. 1755. 8. pag. 5. orificium uteri irritandi, quam Cel. ASTRUC *l'art d'accoucher réduit à ses principes*. à Paris



- 3.) Genitalium externorum labia, et propter pinguitudinem, et partus diuturnitatem repetitasque harum partium contrectationes enormiter tumebant, roridaque reddebantur sudore copioso ubique prorumpente: Interius muco largiter secreto, meconioque remixto lubricabatur vaginae canalis.
- 4.) Orificium uteri perfecte emollitum, extenuatum et apertum, cum notabili tamen aberratione a naturali axi, dum nimium versus posteriora dirigeretur, abdomen eam ob causam cum summo parturientis incommodo, durante graviditate propenderat super pubem.
- 5.) Angustissima pelvis cavitas in omni sua dimensione peccans, summum mihi iniiciebat metum mali infelicisque successus. Carnes infantis quas meconii profluentis ubertas, nates esse credere licebat, exiguum hanc pelvis caveam ita replebant, aditumque ad uterum obturabant, ut sola partium externarum exploratione contentus esse debuerim.
- 6.) Quantum in tanta rerum angustia digitus dignoscere sine matris detrimentosa genitalium disquisitione poterat, infans clunibus orificio utero obversis, ex-
cepta

Paris 1766. 12. pag. 173, roborantibus exhibitis excitandi nihil profecerunt,



cepta uteri obliquitate, caeteroquin satis bene collocatus esse videbatur, ut dorsum infantis abdomini matris suae, dorso vero eiusdem abdomen infantis obverteretur, id quidem ex directione aperturæ ani versus pubem, et ex turgidulo scroti sacculo in regione ossis sacri coniectabam, quam quoque argumentationem eventus omnino confirmavit.

- 7.) In pariente ipsa summam admiratus sum animi tranquillitatem, et plenariam corporis ad sentienda partus incommoda hebetudinem, placido fomno fere semper sepulta, nec ullius rei curam gerebat, nisi dedita opera ad hoc vel illud negotium excitaretur.
- 8.) Meconii aliquot drachmae interdum ex genitalibus promanabant.

§. III.

Perpensis mecum omnibus paullo ante recensitis circumstantiis, quatuor omnino sese mihi offerebant auxiliorum in hoc partu genera, vel enim naturae soli totum negotium committere, vel versione partum absolvere, vel uncino, vel forcipe tandem foetum educere. Praestat dubitandi eligendique rationes unius alteriusque auxilii eodem candore apponere, quo operatori in hoc delicatissimo casu trutinandae erant. Naturae succurrentem opem ulterius expectare vetabant.

I.)



1.) Summa virium uteri contractilium inertia atque silentium, durante toto hoc partu conspicuum et evictum, quae maximam partem defectui irritabilitatis animalis adscribi debebant, temperamento phlegmatico nimium familiari. Si naturae auxilium in quocunque alio partu cum fructu et matris emolumento sperandum fuisset, in hoc certe plane fingi expectarique a sanae mentis compote vix potuit.

2.) Genitalium osseorum praeternaturalis angustia, infantem, parvae licet staturae fuerit, difficillime transmisisset, huic foetui, cuius moles tam ex clunium incuneatarum, quam ex ventris volumine arguenda erat, certissime exitum naturalem denegasset, multoque minus debilissimi dolores, in tanta uteri versus posteriora obliquitate, quidquam praestare in excludendo foetu potuissent.

3.) Partus diurnitas, et inde enata genitalium externorum non mediocri intumescencia, pulsusque conditio, ex parte matris aequae quam infantis omnem moram dissuadebant.

§. IV.

(c) Nollem sane id mihi sequelae genus exprobrari, cuius mentionem fecit b. ROEDERERUS in diss. Zeisiana de causis necessario mortem in partu inferentibus §. XI, in Opusculis med. T. I.

P. 477.



§. IV.

Hisce argumentis convincebar, sola operatione infantem si vivus adhuc esset educendum esse. Arridebant sane praeceptoris olim mei b. ROEDERERI ore scriptisque data consilia versione uti, si natura foetum clunibus utero obversis expellere non valeret: confirmabantque animum in capiendo eodem consilio tot celeberrimorum artis obstetriciae auctorum testimonia, parientique pro instituenda versione conveniens positio parabatur, eligebam illam, quem plerique tali in partu suadent supinam, ut nates paullo plus capite elevatae essent, habita simul ratione obliquitatis uteri, cui ab adstante leni abdominis medebatur sublevatione, manus versionem instituere occupata, introitumque quaerens, validissimam ubique offendit resistantiam, carnes enim infantis cunei instar totam pelvim ita replebant, ut nulli penetrare potuerim, pone os sacrum tam prominens illius ossis tuber, quam scrotum omnem aditum denegabant; a repulsione clunium in uteri cavum, adeo magni usus a variis autoribus depredicata, ob plenariam uteri circa foetum constrictionem pariter abstinendum erat, manus a resistantiis stupefacta, et parientis sollicitudo, me ab infructuoso hoc labore desistere cogebant, nihilque emolumenti exinde redundabat, nisi quod ex naturali infantis calore de superstite vita, absentibus veteribus mortis eiusdem indiciis, probabiliter convincer, et meconio profluente conspurcarer.

§. V.



§. V.

Sollicite mecum reputabam, quod confilium in tanta clunium in angustissima pelvi incuneatione capiendum fit. Omnes artis rationes uncini usum experiri suadebant, eadem vero praedicta argumenta versionem repudiantia, et uncinum dissuadere, eundemque nisi periculosum, infructuosum saltem fieri spondebant, et infanti, si viveret adhuc, nocivum. Arridebat itaque mihi in hoc casu experiri, quid forceps valeret. Cum enim nihil periculi ab illius frustraneo usu metuendum, e contrario, quod 1.) tanquam instrumentum minoris molis facilius penetrare in uterum posset, quam manus, 2.) aliqua compressio, saltem ob pelvis lateralem angustiam in meliorem figuram mutatio, obtineri, et 3.) in summo dolorum defectu melius attrahi posset quam uncini, sine omni haesitatione forcipem longam Smellianam adhibui, et facile animadverti, lento negotio introducta forcipis brachia eleganter firmata esse.

Maximo cum gaudio vidi quam egregie clunes forcipe prehensae inter largum meconii proventum exiverint, et caput ipsum, non obstante pelvis angustia, inter brachia infantis sequutum fuerit. Ab initio parum probabilitatis aderat, puerum in vitam revocari posse. Repetitae vero irritationes, venaesectio ex nondum deligato fune administrata, aeris puri in pulmones inflatio, et larga fumi tabaci copia in anum propulsa, debilem



bilem tandem infantem refocillarunt, quem nunc etiam vivere scio. Forceps talem in modum firmata erat, ut superior cristae ossis ilei pars fenestris respondisset. Secundinarum exclusio, et puerperium naturalem ordinem sequutum est.

SECT. II.

DE

PARTU NATIBVS PRAEVIIS VERSIONE PERACTO.

§. VI.

Quodsi ullum in partu datur impedimentum, ad quod superandum natura plane incapax et iners esse videtur, certe summi obliquitatis infantilis gradus censeudi sunt, qui in verum transversalem infantis situm transeunt. Vt vero infanti capite in plenaria obliquitate praevio, nulla encheiresi melius succurrimus quam versione, ita *Versione* unice utendum esse putamus, quotiescunque foetus conduplicato corpore in partu occurrens, tanto obliquitatis gradu laborat, ut una tantum vel altera clunium in pelvim deprimatur, altera vero margini aperturae pelvis superioris infixata sit. En specimen primum perfectae obliquitatis, quae versione sublata est.

§. VII.



§. VII.

Vocabatur Celeb. WRISBERGIUS die 25. Aprilis 1773. ad Generosiff. de G***. quae dum 24to aetatis anno altera vice utero gereret, iam ultra 24. horas inter dolores diversae indolis et vigoris parturierat. Hora 6. matutina eiusdem diei, post naturalem et spontaneam velamentorum disruptionem aliquot librae liquoris amnii effluxerant. Obstetrix nihil certi de situ infantis asserere ausit, cum orificium uteri lentissime aperiretur, et pariens, ex nimia corporis sensilitate, cum omnem frequentem explorationem, tum eam praecipue, quae in superiorem pelvis regionem ad indagandam partem infantis praeviam necessaria fuit, strenue recusaret. Cum vero velamentorum vesica farciminis instar, ore uteri nondum satis aperto, prodiret, et paullo post rumperetur, instituta nova exploratione infantem praeternaturaliter situm esse iudicavit, licet de parte praevia iudicium ferre non posset. Versus horam promeridianam 5. Praeceptor pie colendus advenit. Pariens temperamentum sanguineo cholericum, vividissimique ingenii, laudabili animi constantia operationem ab illo accelerandam poscebat, quam etiam facilem fore, et brevi tempore finitam esse, explorato rerum statu, praesagiebat. Vires enim corporis minimae erant fractae, et, licet interdum aliquid sanguinis promanaret, quidquam periculi imminere inde non putabat, cum accuratiore examine nihil inveniret, quod suspectum

C

pla-



placentae situm significaret, et potius cruoris proven-
 tum, tanquam sequelam fortis uteri constrictionis decla-
 rabat, qua, vel pars aliqua placentae, vel velamento-
 rum, vasa sanguinea continens, ab utero soluta esset.
 Maximam aperturæ pelvis superioris partem replebat
 molle corpus cuius naturam et conditionem, clunem
 infantis dextram esse, genitalia infantis, scrotum nem-
 pe et penis, quae in anteriore pelvis regione pone ar-
 cum ossium pubis versus dextrum matris latus directæ,
 distingui poterant, determinabant. Cum ex hoc in-
 dicio satis pateret, qualem infans situm haberet, *clunes*
nempe oblique positas offerre, et ex perverso hoc, ab
 axi uteri et pelvis plane abludente positu satis elucesce-
 ret, naturam talem partum absolvere non posse, et uni-
 cum, attamen certum auxilium ab arte expectandum
 esse, *arreptis pedibus* infantem ex pelvi caeteroquin
 bene conformata educere consilium captum est. Pa-
 riante itaque transversim super lectulum collocata, ut
 pectus et superior trunci pars magis elevata esset, fini-
 stra manus, cum ex clunium directione probabile esset,
 pedes versus dextrum matris latus dirigi, successive
 uterum penetravit. Leniter clunis dextra elevabatur
 versus ossis sacri sinistram partem, ut manus eo melius
 penetrare in uterum, et pedes prehendere posset. Sine
 difficultate utroque pede prehensio, qui facile abdomini
 naturaliter plicati incumbebant, infans versus genitali-
 um sinum educebatur usque supra nates, et leni contor-
 sione facta, ut lateralis corpusculi positio corrigetur,
 in

in abdomen revolutus, et ad plicam axillarem usque extractus est. Nunc vero, novo impedimento ex capitis magnitudine enato, quod quidem brachia longitudinaliter extensa amplectebantur, opus fuit, ut sinistrum infantis brachium flectendo eliminaretur, et corpusculum in lateralem denuo situm contorqueretur. Capite itaque in latus collocato, ut facies infantis matris os ileum dextrum respiceret, dextrum brachium autem ductu ossis sacri pone caput relictum maneret, brevi tempore, tum moderata corpusculi attractione, tum uteri constrictione viribus matris suffulta, caput, et cum eodem integer, sanus et vivus puer excussus est, qui statim respirationem incepit, et vagitum edidit. Secundinarum exclusio fuit naturalis, et puerperium absque ullo symptomate peractum est.

§. VIII.

Non plane absimilis enarrato casui fuit altera observatio versionis in nosocomio peractae. *Maria Boeckern* Eimbeca-Grubenhagensis, 20. annorum, primipara, habito circa finem Junii 1769. commercio concepit, et tributo lunari ab illo tempore privata est. Inter conceptionis symptomata, durante primo mense comparentia, praecipue eminebant molestus ardor quoties urinam mitteret, ultra tres dies continuans, nausea, et insolita corporis animique irritabilitas. Circa initium Decembris primum percepit infantis motum, et Martio



1770. inchoante, in nosocomium recepta est. Ab hac periodo ad initium Aprilis, infans profunde in pelvi naerens firmiter iam aperturae superiori impactus, et segmento uteri inferiori tam firmiter appressus sub exploratione animadversus est, ut Cel. WRISBERGIUS caput praevium esse crederet. Cervix tunc temporis iam fere deleta fuit, et orificium aperiri incepit. Medio Aprilis, praevia pars infantis longe erat mobilior, tactu mollior, et magis ad anteriora directa, ex qua subita mutatione Praeceptor futurum praeternaturalem eventum statim praesagiebat. Pelvis caeterum conformatio satis bona erat, gravida mater bene valebat, ex abdominis vero volumine et ambitu, et ex notabili pondere, de quo conquerebatur sub ingressu, non immerito grandem augurabamur foetum,

§. IX.

Die 28. Aprilis primi dolores praesagientes, uti dicuntur, parientem affecerunt, post longa quietis intervalla redeunt, situ infantis semper eodem manente. d. 29. a meridie fortiores fiunt dolores, acutiores, brevioribus intervallis distincti, qui vero, licet nil dubii superesset, partum intensuros esse hos dolores, paullo post inter varia intervalla irregularia remittunt, redeuntque vicissim, ut non adeo sensibilem in ore uteri effecissent mutationem. Ab hora X. vespertina denuo urgent vehementes pariendi conatus. Validissimos sen-

fentit mater prolis suae motus. Orificium uteri nunc sub exploratione emollitum, extenuatum, et ad aperiendum dispositum tangebatur, clausum tamen adhuc, ut praeviae partis conditio nulla ratione dignosci posset, praeter mollitiem, quam digitus tangebatur, et liberio-rem in regione ossis sacri ambitum, quorsum etiam ori- fici-um uteri dirigebatur, de situ foetus iudicium ferri non poterat.

Inter varia dolorum simulacra d. 30. hora X. mat. orificium ad magnitudinem diametri 2. poll. aperi-eba- tur, et velamentorum vesica formari, et protrudi in- cepit: circa meridiem ex vesica sponte rupta, cum mo- dico liquore amnii insignis copia spissi muci, vernicis caseosae instar, cum larga meconii quantitate effluxit. Manifeste post aquarum profusionem, quarum proflu- vium diu continuavit, dolores reddebantur magis effi- caces, ut hora 2. post mer. cum Cel. WRISBERGIUS denuo in nosocomium rediret, orificium uteri perfecte apertum esset. Viso meconii tam ubere proventu, clu- nium praeviarum suspicionem exploratio instituta luce meridiana clarius manifestavit.

§. X.


Posterior circa os sacrum pelvis regio, et quae huic vicina est ossis ilei dextri cum sacro coniunctio, li- berior adhuc praebat manui aditum, cum maxima



corpufculi foetus pars, pubem et finiftrum os ileum occuparet, et finiftra infantis clunis, de qua in pelvi tactu nihil percipi poterat; inhaereret. Sola natum dextra in cavum pelvis depreffa erat, clunium crena margini pelvis infixata: Dorsum infantis verfus finiftram et anteriorem abdominis materni regionem dirigebatur, faciem, pectus, abdomen et pedes infantis explorans manus verfus posteriora et dextra matris verfa animadvertibat. Cum fortuito casu Ill. Praeceptor finiftra manu ad explorandum infantis fitum ufus effet, facillimo negotio, hac plenaria obliquitate omnem naturae operam recusante, ad vertendum infantem in pedes sefe accinxit, idemque negotium, cum pedes non adeo remoti effent, tam celeriter, tantaque facilitate et moderamine peregit, ut vestes exuere ne quidem opus fuisset, et foetus ad umbilicum protractus effet, antequam mater ipfa crederet, versionem, quam ipfi ut necessariam proponebamus, iam institutam effe. Lenta opera infans, qui sub pedum educatione naturalem positionem, abdomine verfus dorsum matris directo, obtinuerat, usque ad axillarum foveam eductus est: Concessa nunc aliquot temporis minutorum requie, sub novarum uteri contractionum adiumento, caput inter utrumque brachium pone aures extensum, sine omni molestia, facie aliquantisper oblique verfus os sacrum contorta, excussum est. Reliquum partus negotium et puerperium fuit maxime sanum et naturale. Infans vivus et vegetus pondus 6. libr. non excedebat, et respectu pelvis
iustam

iustam habebat proportionem, ut insigne itaque abdominis volumen, partim insolitae liquoris amnii copiae, partim secundinarum magnitudini adscribi debuerit (d).

(d) Bene in perverso clunium situ versione partum perfecit clar. EHRHART *Sammlung von Beobachtungen zur Geburtshilfe*, Frankf. u. Leipz. 1773. pag. 241. Licet non adeo facile intelligam descriptionem, quomodo infans clunibus ossi ilium matris sinistro infixus, adeoque obliquam directionem habere, et simul una natum ossi sacro, altera pubi inhaerere potuerit. Peior autem fuit status, et minus felix ex nulla alia causa successus, quam quod iusto serius instituta est versio, in casu de quo relationem Ill. WRISBERGIO dedit industrius Praeceptoris discipulus Clar. KAUFFMANN. In vicino enim pago *Juhnde* iam per 3. dies rustica 35. ann. sexta vice gravida pariturierat, cum d. 25. Aug. 1770. parientem debilem, viribus fractis decumbentem, et colore saturate fusco praeditam, genitalibusque tumidis laborantem, inveniret, nates sub exploratione praevias talem in modum fitas animadvertit, ut anterior foetus pars, pedes ergo simul pubem respicerent: Difficiliter in hoc inconveniente corporis situ pedem dextrum arripere et educere potuit, et unius huius pedis beneficio foetum ad nates usque adduxit, admoto deinceps in plicam inguinis sinistri digito incurvo infantem, nisi caput brachiis decussatim ante illud sitis impedimentum obiecisset, excussisset. Solutis dein brachiis partus puellae mortuae brevi ad finem perductus est,





SECT. III.

DE

PARTU CLUNIVM PRAEVIARVM A SOLA
NATURA PERACTO:

§. XI.

In partu conduplicato corpore, natibus orificio uteri obversis contingente, multa quidem sunt, quae ceu in enixibus, capite primum prodeunte, facilem et naturae convenientissimum partum spondent. Nemini autem ignotum esse putamus, pluribus molestiis, quae saepe in summas transire possunt difficultates, stipatum illum esse, in partu capite praevio vel plane carentibus, vel minori impedimento ansam praebentibus, mollem puto et voluminosam clunium massam, qua carnes genitalium nimium patiuntur, et quod capitis excussio, ultimo loco peragenda, saepe plus prudentiae et dexteritatis requirat, quam totum partus negotium. Priori itaque periculo, laesioni nempe genitalium, quae ex nimio clunium excludendarum volumine metuenda esset, obviam iremus, si in quolibet casu arreptis pedibus inferiorem infantilis corpusculi partem in conicam figuram mutarem, et tum dolorum ope, tum tractionis subsidio exitum eiusdem faciliorem redderemus. In tali sane casu omnino praecipimus et consulimus, quotiescunque sive genitalium sive pelvis conditio talis fuerit,




rit, ut ex volumine et ambitu uteri foeti, vel ex magnitudine clunium praeviarum tale periculum metuendum esset, vel dolores etiam minus efficaces animadverterentur, naturae non fidere, sed absque omni temporis dispendio ad pedum educationem confugere. Ut vero infante iustae magnitudinis in genitalibus bene conformatis convenienter sito, viribus pariendi efficaciter satis et moderate agentibus, nullo aut concurrente aut superveniente symptomate quod festinationem poscit, natura sola sufficere potest, et ridiculum esset, in omni partu naturali capite praevio eam ob causam forcipe uti velle, quod casus dentur, ubi cum emolumento adhibita est; ita minime etiam convenire puto, absque omni exceptione versione partum absolvere, quoties nates offeruntur (e). Qualem successum nostra cogitandi agendique ratio habuerit, aliquot observationes testabuntur.

§. XII.

Primam observationem subministravit *Cath. Marg. Baumbach* 37. ann. quae post intervallum 12. annorum nunc secunda vice gravida facta est, & ab initio Martii 1778. in nosocomium obstetricium recepta, die XI^{mo} Aprilis gemellos peperit, quorum primum, *natibus prae-*
viis,

(e) Cel. ALEXANDER HAMILTON *Elements of the practice of midwifry.* London 1775. 8. pag. 208, seq.



viii, facillimo partu et maxime naturali in lucem enixa est. Medio mensis Augusti concepisse asseruit, et ab illo tempore menstruis caruit. Inchoante Januario 1778. aut versus medium circiter eiusdem mensis, primum sensit infantis motum in dextro latere, quem dein sensim auctum, mox in uno, mox in alio abdominis loco, frequentius tamen in dextro latere percepit.

Cum d. i. Mart. in nosocomium recepta, primum exploraretur, abdomen modice et aequabiliter expansum, uterus naturaliter situs, cervix fere deleta, orificium digitabuli in modum hians, et super segmentum uteri, globosum, volumine capiti simile, sed molle et mobile adhuc corpus tangebatur, caput non esse, quod tangebatur, ex mollitie probabile reddebatur, clunes vero offerri, tunc cum certitudine asserere nemo ausus esset, et ex nullo indicio hariolari poteramus, gemellos utero gerere, quam nunc examinabamus. Satis bene vixit ab illo tempore, motum infantis vividum et alacrem sensit, nullisque doloribus praesagientibus vexatam esse asseruit. D. II. Aprilis hora I-II. sub consueto gravidas in nosocomio explorandi et examinandi termino, nihil molestiae aut doloris sensit. Praeviam mollem infantis partem satis profunde haerentem, et canalem cervicis amplius apertum, et segmentum uteri melius extenuatum et detersum esse percepit. Versus horam XI. noctis, doloribus ad partum veris, et tam fortibus afficitur, ut ex iunioribus obstetricibus, quae
ad

ad addiscendam artem tunc nosocomium frequentarent, illa, cui ex ordine officium parturientibus assistendi incumberebat, vix satis mature convocari potuerit. Plenariam jam invenit orificii aperturam, et sub prima exploratione velamentorum disruptionem, quam mox partus puellae $3\frac{1}{4}$ librar. natibus praeviis prodeuntis et naturaliter positae sequebatur. Jam ex magnitudine huius infantis, cuius partus naturali simillimus fuit, comparata cum elevatione et magnitudine abdominis futurae puerperae, non difficile fuit iudicium gemelli adhuc in utero restitantis, quem obstetrix facta exploratione statim animadvertit: velamentorum vesica a praevio alterius infantis capite, sua sponte fortibus uteri contractionibus disrupta, et brevi post, temporis intervallo vix integrae horae praeterlabente, partu maxime naturali puer $4\frac{1}{4}$ libr. in lucem editus est. Facili negotio secundinae extrahebantur, et mater aequae quam gemelli sani et vegeti finito puerperio nosocomio egressi sunt.

§. XIII.

Ex huius partus historia omnino patet, 1.) volumen infantis, eiusdemque magnitudinem, si respectu pelvis exigua fuerit, quod in partu gemellorum, qualis hic erat, aut in partu praematurato frequens et consuetum phaenomenon esse solet, ad facilitatem partus plurimum conferre: 2.) Si cum conveniente situ fortes coniungantur dolores, citissimum et nullo symptomate



stipatum contingere partum posse: et 3.) Non absolute necessarium esse, ut clunibus praeviis, liquor amnii meconio tinctus sit, aut meconium excernatur, nam in hoc partu uti in aliis ne vestigium quidem fuit illius excrementi.

§. XIV.

Maria Cath. Gerlingen alteram observationem subministravit, d. 11. Novembris 1766. in nosocomio obstetricio partum naturalem puellae clunibus praeviis enitens. Femina haec 28. tunc temporis annorum, tertiaque vice utero gerens, ab initio Julii 1766. in nosocomium recepta, uterum profunde haerentem, licet medium gestationis vix supergressam esse diceret, cervice vero pollicem fere longa instructum, exploratione tetigimus, & praeter vividum infantis motum nihil certi de conditione praeviae partis observare licuit. Medio & fine Octobris eadem tangebatur cervicis longitudo, sed profundius adhuc delapsus erat uterus, ut facili negotio pone sinum pudendorum tangeretur. Circa 4. et 8. Novembris gravia sensit symptomata febrilia, aestu ardente cum algore irregulariter alternante stipata. De motu infantis per notabile tempus nihil percepit, et mortuum esse sibi persuadebat. Orificium uteri nunc cum obliterateda cervice emolliri et penitus aperiri incipiebat.

§. XV.

§. XV.

D. II. Nov. praegressa nocte cum dolores inceperint, & simul aliquid mucii sanguine tincti effluxerit, versus h. 6. mat. frequentiores, validiores, magisque lancinantes facti sunt; h. 9. orificium molle ad pollicis latitudinem diductum est, ut caput praevium, uti putabam, paullo supra os pubis adhuc haerens tangere potuerim, velamentorum vesica formari incepit; h. 11 $\frac{1}{2}$ intervalla dolorum, quae h. 9. adhuc 6. 7. min. longa erant, nunc non ultra 4. protrahebantur, velamentorum vesica, cum sub dolore explorarem, bene expansa ex diducto orificio propendens, & pone illam corpus globosum praevium, propter insolitam expansionem vesicae iam tunc de clunibus praeviis cogitabam: h. 1 $\frac{1}{2}$ dolorum intervalla nunc fere nulla superfuerunt, & praesentia clunium praeviarum iam a me distinctius observabatur. h. 2. velamentis sua sponte ruptis dolores validissimi infantis clunes praevias, in insignem tumorem mutatas, propulserunt. Facile ab obstetricante pedes solvebantur, & infans, adhibitis in plica inguinis digitis, usque ad umbilicum protrahebatur, sed ibi substitit, nec ulla opera ulterius solvi potuit, pariens sub qualibet infantis attractione de notabili dolore conquerebatur. Statim mihi in collegio tunc versanti rerum status indicabatur, & $\frac{1}{2}$ circ. horae a ruptis velamentis, usque ad meum accessum elapsae erant, cum sequentem partus conditionem invenirem, Infantis situs erat perfecte naturalis, sed



tumidulo et molli abdomine paullulum compresso, facile apparuit, iniquum brachiorum super osse sacro situm partus progressum impedivisse.

Funis umbilicalis, ad cuius originem usque infans in lucem editus erat, crassus & multum tensus fuit. Infans putridus, cuius tota epidermis soluta erat, et notabilis foetor conclave inficiebat.

Facile hoc modo causam impedimenti in iniquo brachiorum situ esse putans, respectu ulterioris solutionis seq. feci. Infantis mortui nullam curam gerens, protracto paullulum fune illum rescidi, quo facto plane nihil sanguinis effluebat.

Manu immissa unum brachium post alterum ex superiori pelvis parte solvi et protraxi. Cum propter putredinem infantis omnis cura adhibenda esset, ne caput abrumperetur et in utero remaneret, digitum ossi infantis zygomatico imposui, leniterque maxillam superiorem adduxi et depressi. Quo facto, cum pariens simul validos nixus ederet, caput infantis bene solvebatur, & hoc modo excutebatur puella putrida 3 $\frac{7}{8}$ librarum. Placenta paullo post sine ulla difficultate sequebatur, & finito puerperio, mater in pristinam sanitatem rediit, et denuo ab illo tempore peperit.




§. XVI.

Tertiam observationem denuo ex nosocomio nostro desumimus. Christ. Sab. Schrinnern 38. ann. quae, cum se medio Martii 1771. secunda vice gravidam esse crederet, et medio Julio primum infantis motum in dextro latere percepisset, ab initio Augusti nosocomium nostrum intravit. Cum ad praesentem scopum non pertinere videatur, omnes enarrare mutationes, quas durante graviditate annotavimus, illius tantum phaenomeni mentionem facimus, usque in finem Novembris infantem tam altam semper regionem occupasse, ut digitus pertingere ad segmentum uteri inferius non valeret. d. 30. Nov. demum pars infantis praevia aperturae pelvis superiori paullo fortius adpressa est, cervicis uteri caeterum longitudine notabili adhuc superstitite.

§. XVII.

Die 5. Dec. absque omni dolore praegresso, magna cum celeritate insignis copia liquoris amnii effluxit, orificio interim uteri priorem altitudinem servante, nec cervice perfecte deleta. Nocte sequente sub quiete naturali transacta, cum nova aquarum larga profusione aliquid sanguinis excretum est. De situ infantis, et natura praeviae partis, nihil statui cum securitate et certitudine poterat, cum in media pelvi aequabilis molli-
ties, et super pube tantum tumor quidam facile cedens
animad-



animadverteretur. Versus horam 9. et romam, auctis nunc insigniter doloribus, orificium uteri insignem passum est mutationem, melius enim in pelvim descendebat, exactius detergebatur, et ad naturalem aperturam sensim disponebatur. Nullam amplius velamentorum vesicam adesse, et molle corpus, a capite praevio plane diversum, in pelvi tangi, satis erat manifestum. Sensim talem in modum augebantur dolores, ut paucis minutis praeterlapsis, nates in sinu pudendorum distingui possent, quarum exclusio, leni digitorum pressione adiuta, paullo post insequuta est, meconio simul promanante. Consueta ad solvendum caput bene situm adhibita encheiresi, puer $6\frac{3}{4}$ libr. debilis quidem sed mox refocillatus in lucem editus est; mater aequae quam infans finito puerperio bene valere.

§. XVIII.

Quarta observatio ab Ill. WRISBERGIO in proximo pago Diemarden mense Novembr. 1772. consignata, ostendet, non obstante insigni infantis volumine, putredine mirum in modum aucto, naturam interdum praeter omnem spem partum clunibus praeviis perficere. Allicitus die 2do dicti mensis, ad rusticam, quae iam aliquoties felicissime peperat, properavit, cui obstetrix, mane eiusdem diei convocata, propter copiosum meconii foetidissimi et sanguinis proventum, nulla vesica velamentorum comparente, situ foetus, uti opinaba-



nabatur, cum caput tangere non posset, perverso, et abdomine parientis insolita ratione expanso, sola absque Praeceptoris auxilio adsistere nollet. Hora circiter 4ta matutina veros sentire incēpit dolores, hora 8. obstetrix orificium uteri apertum animadvertit, et cum hora 5. vespertina, paratis modo, quae ad iter faciendum paranda erant, accesserim, nuncius mihi obvium veniens refert, naturaliter infantem conduplicatum summo putredinis gradu corruptum, fune circa abdomen (f) plicato, in lucem editum esse. Obstetrix tunc extrahendis secundinis operam dabat, cum cubiculum intrarem, et magnitudinem pueruli corrupti cernerem. Mater per integrum mensem infantem mortuum esse credidit, cum per longum iam tempus nullum amplius senserit motum. Genitalia bene erant conformata, funis naturali longior, infans caeteroquin bene collocatus fuit, doloresque vehementissimi.

§. XIX.

Quinta observatio, ex partu Dor. Mar. Graeven in nosocomio d. 26. Aprilis 1777. peracto conscripta, nonnulla momenta, attentione digna continet. Primi-
para

(f) Talem forsan in modum qualem SMELLIE *set of anatomical tables, with explanations and an abridgment of the practice of midwifry.* Edimb. 1780. Pl. 29. pinxit.




para haec 32. annorum initio Julii 1776. gravida facta; medio Novembris primum in dextro latere et paullo versus posteriora sensit infantis situm, quem inprogrefsu graviditatis fortiorem & magis constantem in lumborum regione percepit. Sub prima, cum recipere-
tur, exploratione, nimia arcus ossium pubis versus interiora compressio, et inde enata coniugatarum pelvis depravatio, statim animadverti poterat, pubis ab offis sacri angulo prominente distantiam 3. circiter poll. cum dimidio censui. Latitudo autem pelvis erat solito maior. Haerebat super aperturam superiorem globosum et molle corpus, quod prognosi bene formata tunc statim nates esse credidi, et difficile partus genus futurum esse augurabar.

D. 26. Aprilis 1777. hora circiter 6. matutina veri dolores parientem affecerunt. Post varia quietis intervalla hora post meridiem 2da orificium uteri perfecte apertum, molle illud corpus in cavum pelvis detrusum et velamentorum vesicam ex genitalium sinu prominentem deprehendi. Cum tam egregium dolorum effectum cernerem, hora 3. artis ope velamenta dilaceravi, eo quidem scopo, ut arreptis pedibus partum expedirem, sed illa non opus fuit encheiresi, nam ea resistentia remota, a natura ipsa facili negotio infans clunibus praeviis naturaliter locatis ad thoracem usque expulsus est. Facile praevidebam in tanta pelvis ab anterioribus
versus

versus posteriorem partem angustia, primariam partus curam ad solvendum caput dirigendam esse, brachiis itaque solutis, et capite in lateralem situm collocato, dum simul matrem adnixus exhortabar, puer bene formatus 7 librar. cum dimidia in lucem editus est. Reliquum partus negotium erat naturae simillimum.

§. XX.

Sexta observatio. Elisab. Bettelhausern, Majo mense 1777. in nosocomium recepta, initium suae graviditatis a fine Decembris 1776. reputarat, cum eodem tempore menstruus fluxus cessaverit, et ab initio Maji 1777. primum prolis motum in dextro latere sentiverit. Partem infantis praeviam, globosam, alte haerentem, non nisi sub initium Septembris exploravimus, cervicis longitudo per notabile temporis spatium eadem mansit, et in genere dubia fuit et minus convincens, cum de situ infantis, tum de uteri mutatione disquisitio. Abdominis volumen nimis lente increvit, et ultimis hebdomadibus omnis fere infantis motus abolitus fuit. Die 12. Septembris inter prima dolorum initia mucum sanguine remixtum genitalibus excrevit, ore uteri parumper aperto, margineque calloso adhuc praedito: d. 13. doloribus iamiam validioribus factis, et a parientis proprio nisu probe suffultis, versus horam 3. post mer. velamenta rumpuntur, et cum liquore amnii




tenax mucus, nullo meconio adperso profluxit. Circa horam 4. sine omni adhibito artificio puella 4. libr. putredine affecta, et propter facillimum epidermidis secessum summe lubrica et rubicunda, situ corporis laterali, facie nempe versus dextrum matris latus directa excluditur, secundinaeque, etiam corruptae, paullo post sequutae sunt; loco sanguinis autem, nigricantem et foetentem cruorem vasa sanguifera funis et placentae comprehendebant,

Corrigenda:

pag. 10. lin. 5. loco *exhortaretur* lege *excitaretur*.





T H E S E S.

I.

Quaelibet methodus generalis vel evacuandi, vel roborandi, vel resolvendi, vel alterandi et specificis fidendi, qua hodie tam multi in medendis morbis utuntur medici, plus nocet quam prodest.

II.

Natura humana medicamentorum farraginem, quae tam multis placet, ferre nequit, sed, si mitia fuerint, illis affuescit, si fortia, iisdem labefactatur & succumbit.


III.

Ignorantia medicorum in Physiologia et sana pathologia, empiricae arti aditum patefecit.

IV.

Dantur omnino vires fundamentales in corpore animali et vegetabili, quorum diversum moderamen, vigor, languor et inertia, primariam actionum causam et fontem sistit, et medici prudentis cognitionem requirit.

V.



V.

Homo ab initio ad quaevis bona et mala omnimodam habere videtur determinationem, sola educatio, consortium, imitatio bonorum exemplorum, institutio ad cognitionis et studiorum varietates, probum, honestum, mitem et utilem reddit.

VI.

Unicum tantum sensus organon, unica nempe auris vel oculus, ad accurate audiendum et videndum sufficit.

VII.

Sectio symphyseos ossium pubis, nimiis saepe laudibus extollitur, iniuste vero ab aliis vituperatur. In compressione pelvis laterali, ubi diametri vitio insigni laborant, procul dubio magno cum fructu instituitur, minime vero sectionem caesaream reddet superfluum.

VIII.

Regula generalis pro dirigendo clunibus praeviis partu nihil valet, pro diversitate proportionis, situs, et durationis, mox natura sola sufficit, mox versione, et interdum forcipe opus esse potest.

